

SONCHUS MAURITANICUS Boiss. et Reut.

S. perennis, glaber, radice repente? verticali longâ, foliis ferè omnibus radicalibus ambitu oblongo-lanceolatis profundè runcinato-pinnatifidis laciniis patulis retrorsisve acutè et grossè lobatis prætereaque crebrè dentatis dentibus acuminatis albo-mucronatis, caule erecto fistuloso lævi supernè ramoso-corymboso, foliis caulinis 1-2 auriculato-amplexicaulibus lanceolatis pinnati-lobatis dentatisve crebrè et angustissimè denticulatis, capitulis mediocribus, involucri glabri cæsii phyllis lanceolatis obtusiusculis exterioribus paucis brevioribus, ligulis marginalibus concoloribus, achæniis pallidè fuscis basi attenuatis compressis utrinque 5 costatis costis mediis intervallo latiori sejunctis totâ superficie sub lente scabrido-verruculosis, pappo niveo achænio triplè longiori.

Hab. in arvis argillosis propè lacum salsum *Sebka* dictum ad ejus extremitatem occidentalem in viâ inter *Oran* et *Tlemsen*. (Boiss. et Reut., Aprili, 1849.)

Planta 1 $\frac{1}{2}$ pedalis, folia inferiora 4-5 pollices longa sesqui-pollicem lata, capitula illis *S. arvensis* minora a quo glabritie, staturâ minori, foliis ferè omnibus radicalibus differt. A *S. maritimo* distinguitur foliis profundè runcinatis nec integris, involucri phyllis angustioribus, ab utroque achæniis minoribus basi magis attenuatis striatis nec elevato-costatis nec ut in *S. arvensi* valdè rugulosis, nec ut in *S. maritimo* læviusculis.

ZOLLIKOFERIA LONGILOBA Boiss. et Reut.

Z. perennis glabra, rhizomate verticali ad radicem repentem adnato caules plures erectos infernè simplices densè foliosos supernè ramoso-corymbiferos edenti, foliis teneris inferioribus petiolatis elongatis pinnatipartitis rachide longissimâ remotè et minutè denticulatâ laciniisque integris æquilatè linearibus acutis calloso-mucronatis, foliis superioribus brevioribus sessilibus basi acutè auriculato-amplexicaulibus pinnatifidis dentatisve, pedunculis elongatis minutè squamulosis, involucri phyllis glabris nigricanti-cæsiis ab infimis ovatis ad intima linearia elongatis omnibus apice summo tantum albo-membranaceis, achæniis tenuibus rectis obtusè angulato 4-5 costatis pappo multiseto niveo eis longiori superatis intimis tenuissimis albis abortù sterilibus.

Hab. in arenosis maritimis circâ *Oran*, et inter *la Stidia* et *Mostaganem* (Boissier et Reuter), April 1849.